



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

22. An Religiosus, qui ab exteris suis Devotis nummos accipit, & inscio Prælato, necessarios libros emit, peccato proprietatis, & contraveniat nostra Constitutioni, dum modo supradictos libros ...
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

fino dexarto en poder del dante hasta que veiga lalicéria, y en el interim la vendre como en deposito. Ita ille.

5. Cui adde Eminentissimum Lugo de iust. tom. 1. disp. 3. sect. 8. num. 151. sic asserentem, infero quòd quid dicendum sit de Religioso accipiente rem animo non utendi absque licentia; sed tamen vult illam à Prælato mediato petere, quem breui expectat, vel eius literas; quo casu Sanchez num. 5. quem sequitur Diana loco citato resol. 42. cum aliis; dicit, non esse peccatum mortale, si breui tempore speretur licentia. Ego quidem puto id totum posse sine violatione voti obtineri, si iuxta superius dicta debito modo fiat, hoc est, non habendo intentionem acceptandi vltimo modo rem illam, vel ius aliquod ad eam, sed relinquendi totum ius penes ipsum donantem, donec licentia habeatur; tunc enim per longum tempus posset retineri quasi in deposito. Si tamen acceptetur absolute absque licentia, plus scrupuli est, quia licet tempus quo retinetur sit breue, & ex eo capite videatur materia leuis: Ipsa tamen acceptio absoluta videtur esse actio satis grauis, & non facile superior adiri, & licentia obtineri. Credo tamen communem modum acceptandi esse solum conditionatum, hoc est acceptandi, si prælati consenserit, qui modus licitus est.

6. Hæc Lugo, & iterum ego: nec aliter in verbis à Caramuele adductis intelligere volui, & hanc sententiam præter Doctores adductos tenet etiam, me citato Leander à Murcia in regulam D. Francisci quaest. 23. super cap. 6. num. 6. & confirmatur ex alio dubio, quod apponit idem Leander num. 2. ubi sic ait \* [Preguntase lo segundo, si el Religioso peca contra la pobreza, tomando alguna cosa de la comunidad, o de algun lugar publico con intencion de aprouecharse della por unos pocos de dias, y de boluerla luego à su lugar: Respondo que este tal Religioso no peca alomenos grauaemente contra la pobreza, porque no es su intencion quedar se con la tal cosa, ni usar della absolutamente contra la voluntad del Prelado: y quando en el uso de aquellos pocos dias sea el prelado inuoluntario, no puede ser la materia graue, porque ni el dicho uso es absoluto, ni por mucho tiempo.]

7. Cuius quidem vltima verba contra Caramuelem nimis faciunt, ex paruitate enim temporis excusationem admittit, quod potest confirmari ex cap. nam & ego de verbor. significat. quæ verba sunt Salomonis cap. 4. Prouerb. sic dicentis: Nam & ego vnigenitus sum coram matre mea, per hæc verba proponit Sanctus Hieronymus dubium, qua ratione Salomon dicit se vnigenitum, cum habuerit fratrem alium vterinum ante se; & respondet, quia ille nuper natus, statim è vita decessit, idèd se habuit ac si natus non fuisset, & ex hoc notat glos. non videri factum, quod non durat factum.

8. Deinde ablatio, verbi gratia vnus oboli intuito Domino est factum complectum, leue tamen, & committio vnus aut alterius bucellæ carnis die Veneris physice loquendo, est completa comestio, nihilominus leuis erit in genere moris, & omisso vnus aut alterius orationis Angelicæ, aut Dominicæ per votum Deo promissæ, est completa fractio voti, non autem erit grauis sed leuis, & sic in sexcentis aliis similibus id reperiemus.

Sed ego, vt dixi in illis verbis à Caramuele adductis non aliud intelligere volui, nisi quod dixit Cardinalis Lugo vbi supra.

#### RESOL XX.

An si quis Religiosus accipiat ab amico aliqua comestibilia, peccet contra votum paupertatis? Ex p. 1. tr. 6. Ref. 41.

§. 1. **N**egatiuè respondet Ioan. de la Cruz de sancto Relig. lib. 1. cap. 3. dub. 3. conel. 3. vbi sic asserit; [Religiosus accipiendo ab amico prandium aut alia comestibilia, non peccat: ad hoc enim presumitur habere licentiam à Prælato interpretatum.] Et ita etiam docet Lopez in instr. p. 1. c. 6. [Pater (ait) Religiosus accipere à secularibus aliqua munera electuariorum, vel confectioinum cordialium, bina vltima vel par perdicum, vel gallinarum, vel aliq. simile.] Sed, quia in comestibilibus magni valoris non præsumitur ita facile licentia Superioris; idèd casus in tali casu procedendum est.

#### RESOL. XXI.

An frangat votum paupertatis Religiosus, qui petit ab amico vt deponat pecunias penes aliquem, vel apud ipsomet Religiosum, vt quando opus erit, petat facultatem utendi à Superiore Prælato. Ex p. 1. tr. 6. Ref. 43.

§. 1. **T**otum hoc efficere posse Religiosum, testatur Sanchez in summ. tom. 2. lib. 7. cap. 19. n. 50. Ita asserens: [Non est contra paupertatis votum, si Religiosus ab aliquo, absque Superioris licentia, petat, vt deponat pecunias apud aliquem non habens voluntatem acquirendi dominium, possessionem, aut administrationem, aut usum in illas: sed totum id maneat apud deponentem cum libera reuocandi depositi facultate, & solum habet voluntas e habendi opportune pecunias, ex quibus, cum indigerent, accipiat ex Superioris licentia & non aliter acceptans, & nullum ius acquirat, donec Superior det licentiam accipiendi. Et idem est dicendum; si Religiosus eas pecunias in depositum apud se seruet, eodem profecto modo, quo erant apud amicum: quia re ipsa non aliter eas pecunias habet, quam si essent apud exterum depositarium: & hoc non pugnat cum paupertatis voto.] Ita Sanchez, quem postea, tacito nomine, sequitur Barthol. à S. Fausto in thes. Relig. 8. q. 115.

#### RESOL. XXII.

An Religiosus, qui ab exteris suis deuotis numerum accipit, & inscio Prælato necessarios libros emittit, peccat peccato proprietatis, & contraueniat nostre Constitutioni, dummodo supradictos libros in cubiculo teneat palam expositos, & omnibus obiectos. Ex p. 1. tr. 6. Ref. 26.

§. 1. **P**eccare peccato proprietatis, putauit Sanchez in summ. tom. 2. lib. 7. c. 19. n. 56. cum Barthol. à S. Fausto in thes. Relig. lib. 8. quaest. 112. num. 2.

2. Sed ego puto non esse condemnandum, tanquam violatorem paupertatis illum Religiosum, qui inscio Superiore, acceptis à penitentibus numeris, libros emerit, dummodo tamen in cubiculo teneat illos palam expositos; & omnibus obiectos. Et ratio est: quia, quidquid hoc pacto Religiosus possidet, Prælatorum suorum voluntati, ac pot. stat. subicitur. Ita docuit ante alios Azor. part. 1. lib. 12. cap. 12. q. 3. quem postea sequutus est Fabrus de reser. in 4. sent. dist. 15. quaest. 2. disp. 45. c. 5. num. 113. Cortolanus tr. de cas. reser. part. 2. cas. 4. num. 19. & nouissime tenet etiam hanc sententiam in terminis nostræ Bullæ, Homobonus in exam. Eccl. p. 1. tr. 7. c. 12. que. 140. in fin. & etiam in ordine ad peccatum proprietatis.

RESOL.

\* Sup. hoc in  
fra in Ref.  
46.